



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula litterarum testimonialium de bonis publicatis, ad quorum titulum
quis ordinandus sit Subdiaconus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Formulae literarum testimonialium de bonis publicatis, ad quorum titulum quis ordinandus sit subdiaconus.

Attestor ego P. N. Parochus loci N. inter missarum solennia, dum frequens adesset populus, me denunciaffe N. promouendum fore ad sacrum subdiaconatus ordinem, ad titulum patrimonij, seu bonorum censuumve infrascriptorum valoris annui ut si quæ subessent fraudes, seu fictiones, eo præscripto de ferrentur; Neque hucusque quidquam contrarium delatum fuit, quin ad eorundem bonorum & censuum titulum ordinari possit. In cuius rei fidem &c.

Formula Delegationis pro informationibus de moribus, & examine de scientia promouendorum ad ordines extra diocesim.

Carolus &c. Dilecto nobis in Christo N. salutem in Domino. Cum pro parte Reuerendi N. Clerici Mediolanen. istic in Romana Curia degentis expositum fuerit, se in ista ciuitate ad ordines promoueri cupere, velleque super hoc a nobis ex sacri Tridentini Concilij decreto dimissoriales literas: Nos illius honesto ac pio desiderio annuere volentes, de tua singulari prudentia, doctrina, ac integritate plurimum in Domino confisi, te his nostris literis deputamus, ac nostras tibi vices in hac parte committimus, quatenus tu, adhibito tecum vno ex Reuerendis in vrbe ista Illustriss. & Reuerendiss. D. Vicarij Sanctiss. D. Nostri examinatoribus, ipsum N. super scientia, vitæ ac morum probitate, iuxta sacri Tridentini Concilij præscriptum, ad sacros ordines diligenter examines: tuasque ad nos quamprimum de eius idoneitate, periticia, ac integritate literas transmitti curabis. In quorum fidem &c.

Formula literarum dimissoriarum ad ordines.

Carolus &c. Dilecto nobis in Christo Reuerendo N. (addatur ordo,

quo initiatus est) Mediolanen. salutem in Domino. Tibi de legitimo matrimonio, vt nobis constat, procreato, cuius vita & morum probitas per testimonialium nobis factas comprobantur; qui que etiam per examen ab Illu. & multo Reuerendo D. N. adhibito secum vno ex Reuerendis Dominis examinatoribus iussu nostro specialiter factum, idoneus nobis renunciatus fuisti; vt a quocunq; catholico antistite, gratiam & communionem sanctæ sedis Apostolicæ obtinente, in vrbe ista de Illustriss. Vicarij consensu ad ordinem (si promouendus sit ad ordines maiores addantur quæ sequuntur, secus omittantur) ad titulum patrimonij tui, [vel] beneficij ecclesiastici, de quibus nobis legitime constat; liberè ac licitè seruata forma sacri Concilij Trident. promoueri possis & valeas, facultatem cæcedimus ac impartimur. In quorum &c.

Formula literarum testimonialium pro prima tonsura.

Carolus &c. Vniuersis præsentibus literas inspecturis fidem facimus, & attestamur, quod nos hodie Sabbato quatuor temporum generalem ordinationem in Ecclesia nostra Metropolitana Mediolanensi celebrantes, Dilectum nobis in Christo N. scholarem nostræ Mediolanensis diocesis, de legitimo matrimonio die mensis N. anni natum, examinatum, & probatum, ad primam clericalem tonsuram ritè promouimus, & clericali charactere insigniuimus, clericali que militiæ, ac Ecclesiæ S. N. adscripsimus. In quorum fidem præsentibus literas sigillo Archiepiscopi Sancti Ambrosij, & Cancellarij nostri Archiepiscopalis subscriptione munitas fieri iussimus. Dat.

Formula literarum testimonialium pro ordinibus.

Carolus &c. Vniuersis præsentibus literas inspecturis fidem facimus, & attestamur, quod nos hodie Sabbato quatuor temporum in Ecclesia